





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
DIFFICILI  
VITIORVM PRVRIGINOSORVM,  
CVTEM OBSIDENTIVM, CVRATIONE

\*\*\*\*\*  
QVAM  
AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAЕ CONSENSU  
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BUCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAЕ ET PHILOSOPHIAЕ NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
IMPERIALIS ACADEMIAЕ NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

*PRO GRADV DOCTORIS*  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. VI. OCTOBris, A. S. R. c<sup>o</sup> 1559.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

IO. CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVSTER  
CHEMNICENSIS MISNICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE EX OFFICIANA HENDELIANA.

Dissertatio inauguralis medicæ  
DI HICLI  
ALIORUM TRARIGINOSORVM  
CATEN OSBOLDI HAVI CARVATONE  
AEGIDII SAMMI NAVINIS  
ERATIOSAN TACULATIS MEDICIS CONSENSA  
PRÆSIDI  
D. VNGREY ELIA BACHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOVI  
PONTINI ET LUSASINI PÆS A CONSULIS INTIMIS  
MEDICIS ET PHARMACEUTICIS KALENDIS MODERIS TUM  
THERAPIS NUNC ET CLOACIS MEDICIS ORBVM LITERIS  
ET COMITI ETATIS CAVISSIMA  
PRO GERARDU DOCTORIIS  
SUMMISQVE IN MATERIA HONORIBVS AO FRANCIS  
DOCTORATIS MIE CONSULANTIA  
ET CLOACIS  
IN ALIA REGLI FREDERICIANA  
ALLEGATOR  
ID CHRISTIANAS HEREDICIAS SCHÄSTER  
CHERMONICENSIIS MUNICIPIIS.  
MELAE MEDICARUM EX OFFICINA INVENTARIA



§. I.

 Integumentum illud corporis communem, *cutis* nomine vnicuique satis cognitum, perinde, atque alias corporis partes, quibus est circumdatum, multiugis subinde papulis seu pustulis, sero quodam acri scatentibus & molestum pruritum infligentibus, vel asperitudine quapiam moleste pruriens, infestari & foedum effici, tam notum est, quam quod notissimum & vulgari experientia testatissimum. Quis enim est, qui ignoret, cutim modo vera *impetigine*, Graecis *λεξίνῃ* nuncupata, Barbaris vero *serpigine*, modo autem *scabie humida*, modo *sicca*, tum *ferina* seu *psora*, *lepra*, *achoribus*, aliisque huius sortis efflorescentiis & asperitatibus aliquando deturpari, de suoque naturali nitore deiici. Ut reliqua, quae eidem haud raro eueniunt, vitia, diuersas nempe maculas, diuersis nominibus Auctoribus notatas, velut *alphi*, *leuces*, *melanos*, *lentiginum*, *macularum hepatica*.

4      *De difficulti vitiorum pruriginosorum,*

*ticarum, herpetis tum exedentis seu i&diop&eacute;, tum miliaris seu pustularis, erysipelatis, cetera, taceam, quippe quae, quum nulla prurigine sint coniuncta, hoc non spectant: mihi enim constitutum est hoc loco ea duntaxat cutis mala, quae, in cute defixa & haerentia, insigni pruritu stipata animaduertuntur, transigere &, quoad eius fieri poterit, ostendere, quam ob causam, vel optimis quibusque remediis in vsum vocatis, non facile cedant, seque de sua sede, quam in cute ceperint, depelli omnino sinant.*

§. II.

Experienciae enim fide & testimonio satis compertum est, tantam esse horum affectuum pertinaciam, si in cute insederint ac temporis praesertim longinquitate inuerterauerint, ut, quantumuis conuenientissimae optimaeque medicinae adhibitae fuerint iisque propositae: isti tamen non facile suo loco cedant, sed in eo contumaciter persistant. Atque etiam si id aliquando secus euenerit, ita ut, ad breue tempus, ab interno medicamentorum conuenientissimorum vsu de sede sua abirent & silerent: illa tamen laetitia aegrotis minus diurna erit; quod breui post plerumque repullulascunt & recrudescunt, nili forte eiusmodi medicamina topica fuerint affectae curi admota, quae eidem desperditum tonum ac robur instaurant, sicque horum maiorum regerminationem impediunt. Mihi itaque, specimen quoddam inaugurale dатуro & periculum mei facturo, visum est hoc argumentum *de morbis cutis pruriginosis, difficulter sanabilibus*, hoc loco planius

planius expedire, ut inde clarius eluceat, quaenam sit causa tam operosae horum morborum sanationis. Verum enim vero quum haec ratio ex ipsius *cutis structura* potissime sit depromenda; conueniet non minus, quam expediet, eius compagem, in quantum huic rationi enodatus explicandae plurimum lucis affusura videtur, explanatam tradere.

§. III.

Est vero ea, communī omnium fere Anatomi-  
corum consensu, admirabile quoddam textum, ex  
fibrīs membranaceis & tendineis affabre concinna-  
tum, cui abundantissima omnis generis, cum san-  
guinea, tum ferosa & lymphatica, vasa, vt & nerui  
implicantur copiosissimi; quorum omnium tam mi-  
ra est implicatio, vt nullius tanta sit manuum soler-  
tia, ea suis nexibus, quibus intuicem illigantur, ex-  
pedire arque exsoluere: sunt enim tam dense ad-  
strictaque compacta seu coacta, vt non multum a  
coactili, pileis conficiendis apto, abludant. Sunt  
quidem, quos non pudet verae cuti, praeter nunc  
commemorata stamina & vasa, etiam fibras, nescio  
quas, morrices seu carneas comminisci; sed, si ve-  
rum fateri fas est, nihil sane quicquam, quod ullam  
vlliū fibrae muscularis speciem p̄ae se ferret, in  
hoc corporis integumento obuium, nec ynquam  
ab ullo Anatomicorum deprehensum est & demon-  
stratum. Summopere igitur miror, quemadmo-  
dum eiusmodi Viri, ceteroquin doctissimi, in hu-  
mana cute fibras carneas oculis suis usurpare po-  
tuerint, vbi tamen desiderantur, nec ullis, vel per-

6      *De diffcili vitiorum pruriginosorum,*

spicacissimis, Anatomicorum vnquam apparet.

§. IV.

Sed inquiet fortasse, veram cutem suo motu gaudere, quo extendi se rursusque contrahi patiatur, idque sine fibris motricibus fieri non posse. At vero qui norit discriminem illud, quod inter motum corporum elasticum physicum, & motum elasticum vitalem interest: is facile perspicet, ut eorum iure meritoque cuti sit assignandus? nostrum enim non est nec tempus fert, vt heic pluribus ostendam, quid discriminis utrisque hisce motibus, alteri cum altero, intercedat; quod qui scire auet, ei Illustris atque Excellent. PRAESIDIS Dissertationes commendo perlegendas, vbi hoc argumentum uberius explicatum ac fusius deprehendet a). Mihimet enim abunde est, heic ostendisse, hanc membranam fibris muscularibus omnino carere, ipsa anatomica experientia satis loquente.

§. V.

*Vasa* igitur, quae in cutem disseminantur, arteriae sunt & venae, quae in stupenda multitudinis surculos, sensim pedetentimque minutiiores, (ita ut secundum naturam vix yllis aliis, praeterquam serosis & lymphaticis, globulis pateant,) diffusae, in glandulas cutaneas miliares, maximam partem, abi-

re

a) Dissert. de Imbecillitate part. corp. solidar. ab immunita earum cohaesione pendente, & Disserr. de Debilitate ab immunito part. corporis humani motric. elasticu vitali motu pendente.

re plerisque feruntur; RY SCHIO autem tradente & demonstrante, in ipſos excretorios ductus defi- nere, qui ſuis osculis, in exteriore cutis superficie obuiis & pororum cutaneorum nomine fatis cognitis, dehincunt, vbi, ſubtiliores ſulphureo-falinas partes exhalando inque aera diſſipando, perspirationem iſtam infenſibilem efficiunt, maximam sanitatis conſeruaticem; ſanguineis vero liquidis, ſive nimio labore, ſive morbo quodam, ſive immoderato calore in citatiorem motum profluum concitatis, largam ſeri excretionem, ſudoris nomine venientem, proferunt. Si proinde mihi licet dicere, quid de iſtis glandulis miliariibus, quae interiori cutis superficie, copia incredibili, ſubiectae eſſe perhibentur, ſentiam, nullus vereor in eorum partes concedere, qui has glandulas, niſi ex omni, multo maxima rāmen ex parte in dubium incertumque vocant. Quomodo innumerabiles quoque vasorum ramusculi ad ita di- Etas glandulas ſebaceas, & ad pilorum bulbos per- tingant, quum inde parum utilitatis in noſtrum iſtitutum redunderet, heic exponere neque expedit, ne- que attinet.

## §. VI.

Iam quoque nerui iſti nobis breuiter expen- dendi ſunt, quorum propagines tota vera cute in- textae ſunt & implicatae. Dirimuntur iſti, ſimiliter valis ſanguiferis, in mirae multitudinis ramusculos, ſenſim tenuiores & ſubtiliores, qui partim in ſic vo- catas papillas nerueas ſurgunt, corpori de ſensu ta- Etus proſpicientes; partim ad illas, quae cuti inhae- rere ſcribuntur, glandulas miliares & bulbos, ex quibus

8      *De difficili vitiorum pruriginosorum,*

quibus pili emergunt, frequentes satis contendunt. Quo pacto commemoratae neruorum papillae dispositae inque certos & admirandos ordines sint distributae, nec non quas diuersas induant species? quum id ad nostram rem parum referat, atque insuper ab aliis, velut MALPIGHIO, RUVSCHIO & WINSLOVIO, latius iam fusiisque explanatum sit, hoc loco de industria praetermitto, ne extra hos cancellos egressurus videar, quos ego mihi met ipse in hac Dissertatione circumdedi. Reliqua, quae de diuersa cutis crassitudine, quam in variis corporis regionibus exhibit conspiciendam; de multifariis eius aperturis conspectioribus, qua eius interiora adiri potest; ut & de differente saepius pororum, quibus pertusa est, quiique extrorsum patentes, serum acre vel insensibilis vaporis modo efflant, vel satis conspicua sudoris forma saepius profundunt, aliquis huius generis, in medium adduci possent, consulto tacitus praetereo.

§. VII.

Neque est, quod *corpo reticulari* MALPIGHII contemplando hic tempus & operam frustra conteramus, vt pote cuius vix villus, vel certe per exiguis ad nostram tractationem esse usus videtur, maxime quum id, Auctore WINSLOVIO, integumentorum communium numero haberi nequeat; quod nondum experientia exploratum est, vtrum illud ubique locorum in corporis cortice omnium sit, an vero disperse nonnullis duntaxat eius locis verae cuti superiectum deprehendatur? pluris vero

ad

ad rem nostram intereffe videtur, vt illam pelliculam satis tenuem, quae totam cutem extrinsecus arête ambit, *euticulae* seu *epidermidis* nomine haud sa- ne incognitam, hoc loco perlustremus, vt quae mai- oris est momenti ad genesin pustularum vesicula- rumque & penitus intelligendam, & enodatius ex- pediendam, quam illud reticulatum **MALPIGHIT** corpus. Ea quippe vinculis istis, quibus verae cu- ti copulata cernitur, exsoluta a liquidis serosis, oscu- la suorum vasculorum egressis, & paulatim, quan- tulacunque etiam copia, cumulatis, in variae ma- gitudinis vesiculas seu pustulas eleuatur atque ex- panditur. Id quod, qua fiat ratione, quum paucis **Medentium** satis liqueat, nec cuiusvis sit huiusmo- di minutissima consecrari; non poenitebit nec ta- debit huius tegminis compaginem & cum cute subie- cta cohaerentiam paulo curatius inspicere.

## §. VIII.

Est vero *epidermis* membrana quaedam, nullis vasis, neque ullis neruis, praedita, ideoque omnis sensus plane expers, supra vniuersam cutem foris extensa, totidemque poris, quot vera cutis, peruia, atque ex quamplurimis squameis velut lamellis, quarum permira est teneritas atque exiguitas, con- cinnata, quae papillis nerueis & emissariis verae cutis, innumerabilibus fibrillis & tenerrimis mem- branaceis vinculis vel, si matus, nexibus arête ad- haerescit. Vtrum illa natales suas ducat a sudoris colliciis sive incilibus, in cute terminatis atque in hanc membranam se explicantibus, vt **LOEWEN-**

B

HOECKIO

10      *De difficulti vitiorum pruriginosorum,*

HOECKIO visum fuit, an a neruearum papillarum apicibus, vt RY SCHIO persuasum, an ab his vtrisque, vt HEISTERO proditum est, an ab ipsa exteriore verae cutis superficie, externo corporum incumbentium & contiguorum pressu & pondere, in huiusmodi membranam durescente & solidescente, vt MORGAGNIO creditum est? illud hoc loco examinare & ad verum exigere, neque meum est, neque nostra refert; omnium praecipue quum cuticulae genesis etiamnum lateat a nostris oculis occultata & crassis circumfusa tenebris. Quod in rem nostram potissimum conductit, est iste fibrarum nexus, quo epidermis, Auctore WINSLOVIO, papillis nerueis, in cute eminulis, illigata & copulata obseruatur.

§. IX.

Deinde nec illud de hac pellicula, veram cutem operiente, nobis negligendum & silentio est transeundum, eam, WINSLOVIO itidem disertis id verbis tradente, quoque incredibiliter multis nexibus membranaceis sudoris ductibus & spiraculis esse conianctam & adnatam. Si enim cutis pori seu meatus, e quibus sudor emanat, oculis perlustrarentur intentioribus, videri ait, epidermida se ipsum in ipsos hos sudoris poros inferre & cum interna horum tunica arctissimum alere commercium. Id quod quum non sane vlli Anatomicorum, praeter WINSLOVIVM, vñquam sit obseruatum: nec mirum est, nemini Medentium hactenus integrum fuisse, rei naturae & sanae rationi conuenienter endare, qui fiat, ut in plurifariis pruriginosis afflitionibus

nibus aliisque malis, pruritu quidem, sed non a pustulis immunibus, velut in variolis, purpura alba, ambustionibus, gangraena, cetera, epidermis in eiusmodi pustulas affurgat? item quo pacto eadem a vesicantibus remediis, extrinsecus corporis partibus admotis, in folliculos seu vesiculos eleuari & distendi queat? Haec tenus mihi videor de cutis structura satis dixisse. Nunc igitur ad reliqua, quae mihi hac diatribe proposui persequenda, progrediar, breuiter explanaturus causam, quam ob rem morborum prurientium, qui nimiam lymphae & seri lentitiam seu tenacitatem, acribus sulphureo-faliniis folidibus abundantem & contaminatam, suum fomitem agnoscent, tanta sit pertinacia, ut vel efficacissimis & spestatissimae virtutis praefisiis, per sat longum tempus aegroto adhibitis, haud temere obtemperent & cedant, sed semper fere renati, pristinas suas plurimum in cute sedes repetant; etiamsi horum malorum semina omnino fuerint sublata, & vitiata liquida ad pristinam sanitatem reducta.

## §. X.

Quis enim Medentium, qui vñquam medendi artem fecerit & exercuerit, tam incius atque impetratus esse potest, quin sciat, quantum negotii & molestiae Medico pratico multoties sola *scabies*, quae affectionum pruriginosarum vñstatissima & frequentissima esse animaduertitur, facessat, quamque difficillime ea, solo interno medicamentorum, quantumvis praesentissimorum, vñ & adhibitione se sua de sede depelli & omnino debellari permittat, omni-

12 De difficulti vitiorum pruriginosorum,

um maxime & potissimum arida si fuerit & *sicca*. Tametsi vero etiam paulisper seu aliquamdiu discessisse ea videatur, & aegroti sese iam hoc malo defunctos arbitrentur: factis tamen aliquot dierum vel hebdomadum inducis, statim praeter opinioem reuersti inque pristina sua domicilia remigrare deprehenditur. Eadem quoque sorte cetera cutis mala topica, ingenti saepe, vel certe admodum molestia, pruritu consociata, velut verae *impetigines*, *tichenes* graecis nuncupatae; *pforas* seu *scabies ferinae*; *lepra Graecarum*, *CESLO impetigo* appellata; *actores*, *faui* & complures aliae eiusdem generis calamitates, censenda sunt. Quam ardua quamque curatu difficultima ea omnia aduertantur, & quam expeditissime facillimeque nouellis papulis seu pustulis denuo repullulent, communibus omnium fere Practicorum quaerimoniis, quas vltro citroque iactant, sat superque constat.

§. XI.

Quo igitur liquidius appareat, cuius culpare tam difficilis & operosa horum morborum, qui cutem suis papulis asperant & deturpant, depulsionem praecipue sit tribuenda? ipsi lymphatici & serosi latices, qui in cutis tubulos & glandulas inhabentur periade, atque ipsi canales & glandulae eius, nobis probe sunt considerandi: iis enim utrisque bene perpensis, facile patet, quo pacto humectandi serosa collunies commemorata vascula & glandulas subinde inundare, & interioribus eorum recessibus impasta ibidemque fixa, eadem de suo natu cono & robore delucere valeat. Quod si enim verum,

verum, atque vti res est, dicere oportet, non ve-  
reor causam, cur curatio horum affectionum Medicis  
tam sit ardua, vt eos non, niſi multo labore, radici-  
tus extirpare queant, in ſola etiis vafcula excreto-  
ria, vel, ſi magis lubet, glandulas miliares, conferre,  
ut pote quae copia ſeri, praeter modum ſpiffi & len-  
ti, ac praeterea multis acribus ſulphureo-faliniſ  
ſordibus inquinati, inundata & obruta, procedente  
tempore ſuum tonum & robur perdunt. Vnde  
non mirum eft, ſimiles ferofos humores, ſimul ac-  
que ſanguis vberiore copia in corpore fuerit cumu-  
latus & vnde cunque in motu citatiōrem agitatus,  
illlico in dicta cutis vafcula, nunc debilitate & ſuo  
de tono decurbara, copioſius irruere ac pedem in iis  
figere; etiamſi is admibita & praeuia curatione ad  
priftinam integratatem reducetus videatur.

**S. XII.**

Quod proinde ad ipſos corporis ſuccos attinet,  
qui in iſtiusmodi morbis, praeceteris humoribus, a  
naturali ſuo ingenio degenerant, & multifariis impa-  
ris & faliniſ inquinamentis contaminantur, nullus  
dubito, omnibus fere Medicis vna mente consenti-  
entibus, id ſero & lymphae potiſſimum viſio & cul-  
pae dare, quippe quorum ea eft natura atque indo-  
les, vt, accedentibus cauſis occaſionalibus, facile len-  
teſcant & glutinosam ſpiffitudinem ſibi contrahant,  
qua enata, non aliter fieri potest, quam ut varia iſta  
recrementa, in primis omnium falina, quae ſanguiniſ  
maſſae interrant atque interſuſa ſunt, hiſce liqui-  
diſ inneſtantur & inhaerescant, quo ſit, vt, ſordibus

ſtom.

B 3

iſtis

istis in dies sensim sensimque magno cumulo auctis,  
commemorati lymphatici latices magnam tempera-  
tae suae & blandae craseos iacturam faciant, & ita  
alienam induant naturam, valetudinis prosperitati  
exitiosissimam, & grauissima plerumque mala infli-  
gentem; maxime si sanguis, vberiore copia pede-  
tentim cumulatus, eo vsque excreuerit, vt exiliores  
partium, secretionibus atque excretionibus huius-  
modi impuritatum seu retrimentorum inseruienti-  
um, ductus excretorios comprimendo vel occludat,  
vel certe extra modum coarctet, sicque efficiat, vt  
peregrinis istiusmodi fordibus vix illus, vel certe  
minus conueniens, e corpore pateat exitus.

## §. XIII.

Quis vero tantae lentitiae & tenacitatis lym-  
phaticorum & serosorum liquidorum fons & caput  
sit; & vnde tot impura sulphureo-salina inquinamen-  
ta in iam nominatos humores emanent? quum  
id longius sit, quam vt vniuersas istas procatareticas  
causas, quae prouentui horum malorum velificare  
solent, tam paucis plagulis comprehendere & deinceps  
exponere queamus, hic dedita opera silentio  
praeteribimus, potissime quum illae in omnium fe-  
re Medicorum monumentis, quae de morbis exstant  
literis consignatae, legi possint. Siadeo itaque, qui  
has causas occasioales scire gestiunt, BOERHAAVII  
*Aphorismos de cognosc. Et curand. morb. adire, vbi in*  
*Capitibus de simplicissimis & spontaneis humorum*  
*vitiis, praesertim in Capite de morbis a glutinoso or-*  
*tis, ea fere cuncta deprehendent, quae nobis hic*  
*mole-*

molesta profecto sedulitate duntaxat essent reperenda. Abunde mihi est, gratam breuitatem amanti, hoc loco tantum paucis expediisse, quibus vitalium succorum humoribus, in morbis cutis pruriginosis progignendis & alendis, primae ac praecipuae sint partes deferenda.

## §. XIV.

Iam in eo erit, ut ipsos quoque *cutis tubulos*, sudoris secretioni atque egestioni mancipatos, quos alii *glandularum miliarum* nomine ciere consueverunt, paucis percurramus, expediendo, quare & quomodo lymphatici & serosi latices, a sua natura desciscentes, & nimiam visciditatem, largo salium impuritatumque prouentis imbutam, induentes, tam expedite & facile in his glandulis obhaerescant, hocque pacto saepius tot mala pruriginosa, perpetua & curatu difficillima, in cute proferant. Qui ea, quae supra de vasis cutis relata prostant, aequo animo expenderit, haud temere perspicier, eadem maximam partem esse vasa serifera & lymphatica, minore autem ex parte sanguinea, quemadmodum id quoque WINSLOVIO proditum est, diserte tradenti, cutis vascula, quae retis in formam inter se mutuo implita conspicuntur, & propagines conspectiorum vasorum sanguineorum, capillos magnitudine aequalitatem, esse videntur, vigente sanitate nihil sanguinis rubicundi vehere, sed serosam duntaxat seu lymphaticam eius partem, quae perspicua est, transmittere; vid. EIVS *Exposit. anatom. de la structure du corps humain*, Tom. III. §. 17. & 18. Qui igitur, inquam, cogitauerit, vasa ista, totius corporis cutem irrigan-

irrigantia, secundum naturam, serofos & lymphaticos potissimum latices suis alticolis vehere & ad sudoris fonticulos transferre: is vel me silente statim cognoscet, eosdem hos serofos vel lymphaticos humores, in statu etiam morbo, hisce tubulis contineri, & ad sudoris scaturigines deriuari, quamuis ex nativa sua blanda & fluida indole in acrem & glutinosam, seu viscidam naturam mire mutatos.

## §. XV.

Iam vero quum vascula sive glandulae cutis, quae materiae sudoris & perspirationis, a sanguinis confortio segregandae, dicata sunt, summae exiguitatis & teneritudinis esse deprehendantur, quibus nulla proportio cum affluentibus liquidis, insigni iam spissitudine affectis, intercedit; vix aliter fieri potest, quam ut glutinosa haec liquida, in dictis modo glandulis, sive tubulis cutaneis, subsistant, & ea ultra modum secundum suam diametrum & in latum maius distendant, sique, perseverante ista dis-tensione, sensim pedentemque eorum vim ac robur usque adeo infringant & debilitent, ut serosis & lymphaticis reliquis a tergo succedentibus liquidis amplius reniti nequeant. Quum praeterea quoque eadem haec liquida iam salibus sint referata, quae hoc pacto itidem in emissariis horum cutis vasculorum inhaerescunt, & neruulos, per eorum parietes disseminatos, stimulant: haud obscure inde apparet, unde mortalibus, qui huiusmodi tenacibus morbis tentantur, tantus eveniat pruritus, ut a scalpendo seu scabendo sibi temperare nequeant.

## §. XVI.

## §. XVI.

Noli vero existimare, me omnem pruriendi ſenſum, quo pruriginosi & ſcabiosi afficiuntur, a ſola ſalium, in vasculis ſeu glandulis cutaneis obhaerentium & fixorum, stimulatione ſeu punctione deducere; obſeruatione vulgari loquente, eum quicque a ſolis humoribus, in corporis ſuperficie vſpiam stagnantibus, vel in via ſua retardatis & moram neſtentibus, atque ita blande tendendo neruos affientibus, multoties originem ſuam ducere, quemadmodum id pluribus teſtatum facere nullius ſarie eſſet negotii, ſi mihi vacaret eſſe prolixo. Eſt enim pruritus nihil aliud, niſi certus neruorum tensionis gradus, quaſi medium tenens inter dolorem & gra- tissimam perceptionem; prout enim nerui plus mi- nusue, certo quodam gradu, extensi fuerint; vel doloris, vel titillationis, vel voluptatis ſenſus menti humanae oriatur, neceſſe eſt. Consentaneum proinde mihi videtur, iſtum pruritum, cum hiſce malis ſemper conſociatum, haudquaquam ſolis illis ſali- nis particulis, quae in cutis glandulis ſeu vasculis interceptae haerent, acceptum eſſe referendum; ſed vna quoque iſti praeternaturali horum vasculo- rum diſtentioni afferendum, qua nerui vſque eo tenduntur, vt inde ſimiliter menti pruritus idea ar- ceſſi queat, atque ab iſta ſalium irritatione ſeu fi- mulatione. Quantilo autem tensionis gradu fumi- culi neruorum ſint laceſſendi, ſi animo noſtro pruriendi idea accieri debeat? id certo indubitateque definire nullius ingenii eſt. Hinc fruſtra eſſe & fuſſe mihi videntur, qui diuersos hoſce tensionis C neruo.

18      *De difficulti vitiorum pruriginosorum,*

neruorum gradus, quibus dolor, titillatio, pruritus, voluptas, cetera, dissident inter se ac discordent, indubitate ratione determinatum eunt.

§. XVII.

Quae cum ita sint, spectatissimum cuius facilis fore censeo, potissimum rationem, cur huiusmodi pruriginosa mala, si praesertim iam inde a longo tempore & ab aliquo annis cutem infederint & radices in ea egerint altissimas, tam difficulter currunt & funditus tollantur, in ista nimia distentione vasculorum seu glandularum, quibus cutis instruenda est, & in illa indidem relicta eorundem maxime insigni debilitate, esse omnium praecipue querendam, cuius haud sane tam expedita est & facilis amorio sive abolitio, quantumuis Medicus, vel efficacissimis & virtutis praesentissimae medicinis internis humores viscidos & tenaces resoluerit & correxerit; nisi forte eiusmodi remedia in usum & subsidium fuerint ultimo vocata & adhibita, quae cuti amissum tonum & robur restituunt, sive efficiunt, ut sudoris incernicula ad pristinam integratem reducantur, quae tum corroborata & confirmata, liquidorum, huc copiosius ruere solitorum, impetum facile retundere atque eludere valebunt.

§. XVIII.

Haud equidem abnuero, hosce morbos, cutem infestantes & pruritu subinde mordaces, praesertim scabiem, si recens orti, vel certe nondum inueterati fuerint, & in corpora ingruerint iuuenilia, quibus boni integrique corporis succi sunt, saepius, in tempore, si saluberrimis medicinis eis subueniatur, sine mul-

multo negotio & labore abigi, nec facile reuerti, modo aegri a sanatione exactae victus rationi operam dederint. Quod si vero homines aetate prouectiores, aut quibus aetas ferme acta est, quibusque sanguis degener & prauus, iisdem hisce morbis fuerint implicati; aut si iam diu & per longinquum tempus in corporibus, quantumuis iuuenilibus nec ita anno-  
gis, perstiterint; Medicus interno medicamentorum, licet conuenientissimorum, vsu parum aut nihil in his affectibus curandis proficiet, sed totum sanandi negotium in irritum reciderit, etiamſi vitalia liquida ab omnibus inhaerentibus salinis & sulphureis impuritatibus quam optime fuerint repurgata, & ad iustum suam & satis fluidam redacta consistentiam, nisi ad yltimum eiusmodi auxilia cuti admota fuerint, quae labefactatum vasorum cutaneorum roburi redintegrant atque instaurant.

§. XIX.

Verum enim vero posset quis ex me causam sciscitari, cur lymphaticorum talium humorum inundatio & eluuius in cutis glandulas potius, quam in aliarum partium, intus in corporis latebris delitescentium, canales fiat, quum tamen illae praeter hō nihil praecipui haberent? Quaestio haec, quae prima facie satis speciosa videtur, reapſe leuis vixque vilius ponderis erit animum attenturo ad ea, quae statim consequentur. Primum cutis secretoria vascula seu glandulae ideo a natura fabricatae, tamque stupendo numero per hoc commune corporis tegmen disseminatae sunt, vt iis, in sanitate, subtiliffima quaeque sulphurea & salina, animali mixtioni in-

C 2

teri-

20. *De difficultate vitiorum pruriginosorum,*

teritum intentantia, a sanguinis connubio assidue se-  
iungerentur, & per excretorios earum canaliculos  
foras eliminarentur. Tum, vniuersa fere vascula,  
vel certe quam plurima, quorum abundantia catis  
affluit, naturaliter seruos solummodo & lymphati-  
cos latices suis alueolis coercere, & ad minima quae-  
que eius puncta deferre, vt supra iam traditum est.

§. XX.

Deinde eadem haec vascula, quum sint gracil-  
lima atque tenerrimis tunicis compaeta, vi elastica  
vitali languidiore esse, quam aliarum corporis par-  
tium, id quod vel inde abunde pater, quod cutis ar-  
terias videmus nullos pulsus agentes. Post ea omni-  
um ceterorum vasorum minimorum a corde, omni-  
um liquidorum vitalium fonte & motore potiori,  
remotissima &, ut BOERHAAVI verbis utar, extra  
leges velut circulationis posita esse, in quibus idcir-  
co liquida, secundum naturam, lentissime maxime-  
que languide in orbem volvuntur. Accedit & il-  
lud, quod horum vasculorum ramusculi, alias alio  
ita implicati & coenentes deprehendantur, ut velut  
in retia esse confusa videantur, quae in cute, da-  
dala RUVYSCII manu cereo liquore referata, aut,  
WINSLOVIO teste, in eius inflammationibus satis  
conspicua & nudis oculis obvia sunt. Tum ea nec  
villis externis mouendi adminiculis & stabilitimentis  
esse subnixa, praeterquam iis forte, quae a muscu-  
lis, cuti verae subiectis, si in sui contractionem agan-  
tur & moueantur, dictis vasculis accedunt: quia hoc  
corporis tegmen fibris carneis seu muscularibus  
omnino caret; sub ipsa vera autem cute panniculus  
adipo-

adiposus ~~αμέτως~~ collocatus est, qui, quum multa pinguedine, in corporibus praesertim obesis, infarctus conspicatur, curaneis vasculis impedimento est, quo minus musculi subiacentes, si agant, eis satis subsidii mittere queant. Postremo eadem externi aëris accessui exposita esse, cuius alternantes mutationes ex calido in frigidum, ex frigido in calidum, ex humido in siccum, & contra ex sicco in humidum, in horas fere magnam vim atque efficaciam in cutis vascula effundunt, quas hoc loco deinceps enarrare, neque tempus, neque instituti ratio permittunt.

§. XXI. Quae cuncta qui non externo numero atque vti copia apparent, sed interno suo pondere aestimauerit & ad verum exegerit, is clare intelliger, quam ob causam humores crassi viscidique, ac multis acribus salinis spurciitiis polluti, multo promptius in cutis tubulis stagnant & subsistant, quam aliarum corporis partium. Elucebit quoque indidem, quemadmodum commemorati canaliculi vel, quod mihi perinde esse porest, glandulae, si huiusmodi liquida iis impelta haerent eorumque angustissimos intercipiunt meatus, extra modum distendi, & hac via infringi impenseque debilitari queant. Neque obscure ex iisdem apparebit, quam ob rem cuncta haec mala pruriginosa, si in cute altis sunt defixa radicibus, vix ac ne vix quidem sese eradicari patientur: quod tum, temporis longinquitate, quo cutis vascula tenuerunt occupata, hisce, tam diuturna & immoderata dissentione, vim intrulerunt haud exiguum, istius insignis imbecillitatis, quae vasis suprest, veram effectricem.

§. XXII. Expeditissimum quoque ex eo erit cognoscere, cur pleraque medicamina, etiam si optima, & multo longoquo vsu, in impuris lymphae & seri morbis,

22      *De difficulti vitiorum pruriginosorum,*

spectatissimae virtutis & efficacitatis alias fuerint deprehensa, velut vniuersa, lymphaticis & serosis liquidis talibus attenuandis, resoluendis, incidentis, colliquandis, & ab inhaerentibus acribus sulphureo-salinis retrimenti per renes & aluum repurgandis & emundandis alias accommodatissima, vix quicquam vel certe parum valeant ad haec cutis mala subigenda & profiganda, si ista iam inde a longo tempore atque adeo ab aliquot annis cutem occupata in funderint, ciusque vascula & glandulas plane eneruauerint suoque tono & robore euerterint: idque non sene illa alia causa, quam quod huiusmodi medicinis nulla via & aditus concedatur, ad ipsos hos valde debilitatos & maxime labefactatos acinos ac tubulos perueniendi, eoque pacto hos reficiendi & nouis viribus instaurandi. Medicus proinde, huius fortis morbis mederi gestiens, nihil sans quicquam, sui laude atque existimatione dignum, in iis radicitus extirpandis & tollendis funditus, vñquam consequetur, hac, quam semel ingressus est, medendi via institurus, nec eiusmodi remedia externa vltimo in vsum vocaturus, quae leniter ac blande adstringendo & corroborando, hisce affectis partibus pristinum tonum & in columnitatem reddere & instaurare valent. Prius tamen, quam quis ea adhibuerit, maxima est necessitatis, vt topicis his, in exitu morbi demum vsurpandis, eiusmodi auxilia praemittantur, quae glutinosa & tenacia liquida incidendo, resoluendo, attenuando & diluendo debitam ipsis integritatem reducent, quod vero non vnius, neque plurium dierum & hebdomadum, sed persaeppe plurium mensis esse soler, & qua Medentis, qua agrotantis patientiam tentat atque exercet.

§. XXIII. Neque a nostro proposito alienum fore censeo paucis hic expedire, qui fiat, vt cuticula seu epidermis, sero vel lympha, ductibus suis excretoriis exeunte, a subiecta ipsi vera cute auulsa, in pustulas sue vesiculos persaeppe eleuerur & distendatur? Obseruando enim notamus, eam non in his prurientibus solum morbis, sed in aliis etiam, pruriendi sensu plane vacuis; cuiusmodi sudamina sunt sine θωρακαι, Φλόγταιναι, variolae, aliaque exanthemata, in purpura alba, exempli gratia, obvia, saepius

pius in pustulas, nunc conspectiores, nunc minutiores & conspe-  
ctu difficiliores, assurgere, quae modo liquido quodam limpido  
& pellucido, modo quopiam purulento, sealent. Qua vero ra-  
tione cuticula in huiusmodi pustulas dilatari expandique possit,  
de eo Auctores fere omnes, si a WINSLOVIO discesseris, omnino  
silent; forte quod haec habeant minutissima, ideoque nihil mo-  
rentur; vel ea enodare vereantur. Quoniam vero & haec co-  
gniti haud iniucunda sunt & scitu aliquando necessaria, operae  
pretium erit ostendere, quo pacto tales pustulæ seu bullulae e  
cute emergant.

§. XXIV. Supra iam de epidermide proditum legitur,  
jeam, dum totam cutem ambit, super hanc expansam esse, sequen-  
ti ipsos subiectæ veræ cutis excretorios ductulos sive poros, per  
quos sudoris materiæ foras effertur, insinuare, vbi cum tubulis  
his excretoriis cohaerere eosdemque absoluere viderur. Si igitur  
serum illud acre, quo cutis glandulae seu vascula secretoria  
in his malis inundata sunt, sensim pedentimque a reliquis, re-  
tro succedentibus liquidis, in modo commemoratos excretorios  
sudoris canaliculos vrgetur; vbi perinde, atque in ipsis secreto-  
riis tubulis, moram facit & stagnat, eos præter modum disten-  
dendo, interioremus eorum pelliculam, (quæ summae tenui-  
tatis est & teneritudinis, & cum epidermide hue reflexa coit,) sen-  
sim velut mæerando & ita remolliendo ac liquando, ut epider-  
midos productiones secessionem seu discidium faciant cum ipsis  
excretoriis hisce canaliculis. Dum vero stagnantes in his serosi  
latices assidue a tergo protruduntur atque exurgentur, dictas  
modo cuticulæ productiones paulatim foras extrudunt, atque  
suis emissariis exeundo, se intra interiorem cuticulæ atque ex-  
teriorum veræ cutis superficies effundunt, vbi sensim peden-  
timque cumulati, epidermida in altum tollunt, quæ sic suo ne-  
xu, quem antea cum excretoriis habebat tubulis, iam exsoluta,  
in eiusmodi bullas seu pustulas surgit.

§. XXV. Sed quosdam mihi audire videor ita obiicientes:  
Quum cuticula seu epidermis totidem sit foraminulis, quot vera  
cutis, pertusa, atque insuper nunc in altum sublata atque ita ma-

24 *De difficulti vitiorum pruriginosorum, &c.*

gis expansa; ipsa quoque eius foramina seu poros ampliores & pateniores reddi, necesse esse: quomodo idcirca fieri posset. ut serum, ex suis vasculis excretoriis elapsum inque exteriorem cutis faciem diffusum, suo complexu coercere & continere posset, poris eius magis iam ampliatis, quam antea, quum verae cuti adhuc adnexa adhaesset. Verum hanc obiectionem, quae magni momenti aliquibus videri quiret, diluere nihil sane est negotii. Etenim ex iis productionibus membranaceis, quas, ab epidermide reflexas, verae cutis poros subire quasque cum interiore emissariorum, quae sudoris virginem e cute foras exterminant atque eiiciunt, cohaerere tradidi, facile apparebit, epidermide a vera cuti secedente inque pustulam aur vesiculam asurgentem, ipsas quoque has productiones membranaceas, (ut quae ad cuticulam pertinent cumque ea continentur sunt,) simul ex verae cutis emissariis auelli, extrahi & epidermidis appensas manere. Quae, quum pendulae sint, libere iam fluctuantes & plicatiles, nihil profecto dubii est, quin sero, per ampliaros cuticulæ poros effluxuro, obicem ponant atque eius exitionem seu profluuium impediant: quia pendulae istae & fluctuantes productiones, valuularum modo, cuticulæ poros seu foraminulis praerenduntur seu praepanduntur, sive sero exitum paecludunt. Qua quidem ratione manifestum erit, quare serum, epidermide in bullas vel vesiculas expansa, vt in vesicis eius, a cuti adnotis vesicantibus, cernitur, nihil quicquam sero ex pustulis eiusmodi vesiculis emanare queat, quoad eis sua integritas confiterit.

§. XXVI. Supersunt nobis multa alia de malis his prurientibus, quae in cute haerent, prosequenda, profecto digna, quae illustriore explicatione Lectorum oculis & mentibus subiicerentur contemplanda. Verum quum statim ipso huius operis limine significarim, de difficultate morborum curandorum, qui suo pruritu sanitati molestiae, nec insolenter noxae ac danno sunt, me duntaxat esse disserturum, haudquaquam vero de via & ratione eis medendi; promissis meis eatenus satisfecisse videor, quatenus id reipse haetenus praestiti. Ut igitur aliquando extrellum haec habeat dissertatio, finem iam faciam.

T A N T V M .

00 A 6283



SL

Ratko ✓

DIS  
PAJ  
VOL



DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
DIFFICILI  
VITIORVM PRVRGINOSORVM,  
CVTEM OBSIDENTIVM, CVRATIONE  
\*\*\*\*\*  
QVAM  
AVSPICIIS SVMMI NVMINIS  
ET  
XIX  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV  
P R A E S I D E  
**D. ANDREA ELIA BVCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDIC. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS  
AD D. VI. OCTOBRIS, A. S. R. CLO 15CC LIX.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**IO. CHRISTIANVS FRIDERICVS SCHVSTER**  
CHEMNICENSES MISNICVS.  
HALAE MAGDEBURGICAE EX OFFICIANA HENDELIANA.